

SECTIO IX.

DE

FORMVLA ROTVLARVM.

§. 460.

Rotulae, quales a Medicis praescribi et in officinis praeparari solent, sunt medicamenta interna, sicca, ex materie paululum subtiliore et solubiliore ea, quae morsulos ingreditur, saccharoque excepta, composita, et in figuram circularem et plano - conuexam redacta.

Degene-
si rotula-
rum in-
genere.

§. 461.

Cum morsuli aequae ac rotulae saccharo excipiantur § 460, 451. patet, rotulas eatenus cum morsulis convenire. Differunt vero a se invicem 1) ratione figurae, quae in morsulis oblonga quadrata, in rotulis circularis, et plano-convexa est §. 460. 449. 2) ratione magnitudinis, quae in morsulis maior, in rotulis minor est, 3) ratione ingredientium. Morsulos enim, praeter puluerulenta, conseruae, condita aliaque crassiora ingrediuntur §. 335. 363. 451. quae in rotulis exfulare debent, earumque materies est solubilior ea, quae morsulos ingreditur. Trochisci differunt a rotulis, quod haec saccharo, illi autem mucilagine excipiantur §. 460.

Differen-
tia rotu-
larum a
morsulis
et trochi-
scis o-
stendi-
tur.

§. 462.

§. 462.

Conuenientia in morfulis soliditas, fragilitas, cohaesio non lentescens, facile in ore deliquium vsusque iucundus §. 449. Sed praeter has dotes in rotulis laudatur pelluciditas, quae in his magis diaphana, quam in morfulis esse debet.

§. 463.

Hoc, quo rotulae a morfulis distinguuntur, et se prae his commendant, est pelluciditas magis diaphana §. 462. Cum vero haec in rotulis obtineri nequeat, si istas ingrederentur quae vel satis tenuiter et aequabiliter misceri nequeunt, uti conseruae, condita, pulueres crassiores, fructus, nuclei idque genus alia, vel in grumos facile abeunt, patet exinde ratio, cur talia in rotulas rarissime vel plane non recipiantur. Et eandem ob rationem in rotulis tanto magis saccharum requiritur albissimum, quam in morfulis.

§. 464.

Ingredientium vice in rotulis fungi solent
 1) succi liquidi gratiores aciduli, ut succus ribium, berberum, citri, etc. qui cum saccharo coqui et inspissari solent, 2) olea destillata, ut cinnamomi, caryophyllorum, melissae, citri, ligni Rhodii, etc. et essentiae cum saccharo in aqua destillata solutae, 3) pulueres vel simplices, ut mater perlarum, corallia rubra praeparata, succinum praeparatum, olibanum, masti-

maſtiche, benzoe, puluis radicis ialappae, iridis Florentinae, zingiberis, cubearum, cardamomi, aniſi ſtellati, canellae albae, croci orientalis, cochinellae, boracis Venetae, aliiſque pulueres roborantes, neruini et ſtimulantes, vel compoſiti, vt ſpecies diambrae, diamoſchi, diaireos, diamargaritae. Nonnunquam extracta, vt et confectio alkermeſ, et pro effectũ laxante refina ialappae et mercurius dulcis, addi ſolent.

§. 465.

Interdum ſicca et ſpiſſa a rotularum compoſitione excluduntur, et ſoli ſucci liquidi gratiores, maxime aciduli, vt ſuccus citri, ribium, berberum, etc. cum ſaccharo ad rotulas conficiendas adhibentur. Hae ſic praeparatae uſus ſunt iucundiſſimi. Alii idem moliuntur cum aquis deſtillatis, rotulasque ex ſaccharo, in aqua deſtillata ſoluto et inſpiſſato, parari iubent, ſed, cum virtus, quam aquae deſtillatae, ſi qua iis ineſt, ſaccharo impertiri poſſunt, hac ratione pereat, qui rotulas hoc modo praeparatas aquae deſtillatae virtute praeditas eſſe putant, admodum falluntur. Atque idem notandum eſt de iſtis rotulis, quae ex elaeoſaccharis in aquis ſolutis et incoctis, vel oleis deſtillatis, vel eſſentiis concentratoribus, cum ſaccharo in aqua deſtillata ſoluto et incocto, praeparantur. Elaeoſacchara enim, olea et eſſentiae, de

Quae-
nam ro-
tularum
ingredi-
entia vir-
tutem
ſuam a-
mittant
et quo-
modo?

de quibus modo dixi, sub hac praeparatione non possunt non aliquam virtutis suae partem perdere. Qui syrupum ad rotulas ex eo conficiendas praescribunt, videant, qualem eligant. Terreae et salinae facile liquefcentia non bene tolerant rotulae, quoniam illa consistentiam earum nimis densam et tenacem, haec autem nimis laxam et fluidam reddunt.

§. 466.

Quae-
nam in
praescri-
bendis
rotulis
sint ob-
seruan-
da.

Si circumstantiae exigunt, vel permittunt, ut rotulae officinales praescribantur, eas oleo vel essentia idonea oblinere licet, ut aliqua ab iis virtus certius expectari possit. Idem obseruari potest circa rotulas magistrales, praesertim, si metuitur, ne volatilia calenti massae immisceantur, eorumque virtus hac ratione pereat.

§. 467.

De pro-
portione
sacchari
in rotu-
lis respe-
ctu exci-
piendo-
rum.

Numerus ingredientium in rotulis minor esse solet, quam in morsulis, et fere talis, qualis in bolo. Eorundem vero proportio eadem propemodum est, quae in morsulis, §. 455. 456. paucis tantum exceptis, quae in eo consistunt, ut hic maiore sacchari quantitate respectu excipiendorum opus sit. Et eandem ob rationem, ad succos acidos in rotulas redigendos, sacchari fere sextuplum vel octuplum adhibetur, ad essentiarum vero drachmam unam, vel integram et dimidiam, et ad oleorum aromaticorum guttas viginti, eius vnciae duae requiruntur. In eadem quantitate essen-

essentiae et olea recipiuntur, si iis rotulae sunt oblinendae §. 466.

§. 468.

Rotularum quidem praeparatio debita pharmacopoeo cognita supponitur, nihilominus tamen ab eo ita est instituenda, ut volatilia adiicienda vel plane non, vel minimam certe quoad partem calore dissipentur; id quod eum interdum monere non abs re erit.

Ad quae-
nam in
rotula-
rum pra-
paratio-
ne fit re-
spicien-
dam.

§. 469.

Moles rotulae minor est, quam morsuli, communiter scrupulum vel drachmam dimidiam aequat, et rarissime pondere, vel volumine determinatur §. 457. Eiusdem dosi aequae ac morsuli, numero ad unam, duas, tres etc. interdum pondere, quod vero pro varia ingredientium efficacia et proportionem varium est, definitur §. cit. Quantitas rotularum generalis convenit cum quantitate generali morsulorum §. cit., quamvis et minor commodè praeparari possit, si succi acidi, vel syrupi, ad eas conficiendas praescribuntur.

De mole,
dosi et
quantita-
te gene-
rali rotu-
larum.

§. 470.

De subscriptione et signatura formulae rotularum nihil habeo, quod moneam. Vfus earum idem fere est ac morsulorum §. 458. Parum hodie sunt usitatae, nisi forte ad scopum analepticum et ad aegrorum delicatorum palatum ordinentur. Nonnunquam in fau-
cium

De usu
rotula-
rum.

cium ardore et inflammatione, tussi pectorali et foetida expiratione, ordinantur. Hae dicuntur Brust-Küchlein, et leniunt, abstergunt et expectorant. Quae ex succis acidis parantur, vi gratissima, sitim in acutis morbis aegros maxime affligentem mitigandi, se commendant.

§. 471.

Specimina sunt

I. Rotulae laxantes.

℞. crem. tartari

pulv. rhab. opt aa ʒij.

flav. cort citri rec. ʒʒ.

facch. alb. in aqua rosar. soluti ʒiiij.

M. f. rotulae.

II. Rotulae laxantes anthelminticae.

1.

℞. pulv. sem. fanton.

rad. ialapp. aa ʒiiij.

corallin. ʒj.

mercur. dulc. ʒʒ.

facch. in aqua rosar.

soluti ʒiiij.

M. f. rotulae. Dosis est, pro puero trium aut quatuor annorum, drachma vsque ad scrupulos quatuor, pro adulto vncia dimidia.

2. ℞.

2.

R^x. semin. absinth. ℥ij.
 mercur. dulc. ℥iv.
 diagrydii ℥j.
 sacch in aqua tanaceti soluti ℥iiss.
 M. f. rotulae.

III. Rotulae pectorales.

1.

R^x. pulv. rad. irid. Flor.
 succin ppt. aa ℥j
 pulv. rad. glycyrrh.
 flor. sulph. aa ℥ss.
 myrrh. elect. ℥ij.
 croci ℥ss.
 sacch. in aqua hyssopi soluendi ℥ij.
 M. f. rotulae.

2.

R^x. pulv. rad. irid. Flor. ℥ss.
 succ liquirit. inspiss. ℥ij.
 flor. sulphuris ℥ij.
 F. c. f. q. sacch. candi in aqua hyssopi
 soluti rotulae.

(Part. II. de form. in specie.) S 3. R^x.

3.
 R $\acute{x}$. Spec. diatr. simpl. rec. ppt. ℥ss.
 succ. liquirit. ℥ij.
 extr. enul. ℥ij.
 flor. benzoës ℥j.
 sacch. in aqua tussilag. soluti q. s.
 M. f. rotulae.

IV. Rotulae roborantes ventriculum.

R $\acute{x}$. ol. stillat. menth.
 de cedr. aa gutt. XV.
 ess. cort. $\bigcirc$ rant.
 succini aa ℥ij.
 sacch. albiss. in aqua menth. soluti
 et inspiss. ℥v.
 M. f. rotulae.

V. Rotulae aduersus sitim.

R $\acute{x}$. sacch. albiss. subtiliss.
 pulueris. ℥iij.
 leni igne calefactis immisce
 succi pomi citrei rec. ℥v.
 flaued. eiusd. tenuiter rasae ℥j.
 F. rotulae.

✠) ○ (✠

SEETIO